


PAG.	PAG.
— Quantum possint inter dimicandum aut stratagemmata aut voces aliquae praeter spem emissae . . . . .	143
— Quae ratio ac quibusdam in perturbanda Republica ac pace frangenda observari solet . . . . .	157
— Poenam an obsequium magis necessarium sit ad regendam populi multitudinem . . . . .	158 bis
— Patriam semper defendendam esse, sive id fiat honeste, sive fiat cum ignominia aliqua . . . . .	168 bis
Cfr. quoque <i>Ars</i>	
<b>Libera a pittaciis responsa</b> . . . . .	<b>36</b>
<b>Libri dono accepti</b> . . . . .	<b>72, 108, 180</b>
<b>Librorum recensio</b> . . . . .	<b>18, 35, 72, 90, 108</b>
 Litterae et Philologia	
De latini sermonis notis singularibus ( <i>I. Jss.</i> ):	
— De sede interrogationis indirectae . . . . .	11
— De sede propositionum adjunctarum . . . . .	12, 27, 48
— De periodo . . . . .	49
— De demonstrativis . . . . .	63
— De supinis . . . . .	81
— De synonymorum usu . . . . .	82
— De quibusdam vocibus substituendis . . . . .	97
— De quibusdam casibus . . . . .	113
— De indefinitis . . . . .	114
— De coniugatione media . . . . .	129
— De quibusdam coniunctionibus «coordinantibus» . . . . .	130, 149
— De dupli nominativo singulari eiusdem verbi . . . . .	150
— De verbis transitivis quorum accusativus retinetur . . . . .	151
— De verbis quae modo transitive, modo intransitive construuntur . . . . .	163
— Cuius sit actio ablativi absoluti in passivo . . . . .	163
— De iteranda voce praecipua . . . . .	170
— Quem locum obtineat praepositio . . . . .	171
— De praepositione quae ad plura substantiva refertur . . . . .	171
De puerorum poësi latina ( <i>Aristarchus</i> ) . . . . .	4
De Iaponiorum poësi ( <i>I. Antonelli</i> ) . . . . .	109
Wilhelmus Thackeray ( <i>A. Costaggini</i> ) . . . . .	118
Carmen potatorium quarti decimi saeculi ( <i>H. Lis</i> ) . . . . .	155
Nostra res:	
Nomina latina rebus hodiernis adaptata ( <i>H. Lis</i> ) . . . . .	13
Ad renovandum latinae linguae usum ( <i>I. Fornari</i> ) . . . . .	64
 Medicae notae	
De sanitatis conservatione in genere ( <i>Waldschmidt</i> ) . . . . .	16
De plethora, cacoehymia et turbata mistione sanguinis ( <i>Waldschmidt</i> ) . . . . .	123
Risus et hilaritas ( <i>R. S.</i> ) . . . . .	155
 Roma sacra	
Pius PP. XI ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	19
Pii PP. XI obitus et funera . . . . .	32
Habemus Pontificem! ( <i>Alma Roma</i> ) . . . . .	37
Eugenius Pacelli Pius PP. XII ( <i>I. Antonelli Costaggini</i> ) . . . . .	38
Novi Pontificis electio et coronatio . . . . .	50
Homilia de pace a SSmo. D. N. Pio PP. XII inter Missarum sollemnia in templo Vaticano dicta die Christi anastasi sacra huius anni MCMXXXIX . . . . .	67
Pii PP. XII nova paterna consilia de pace (latine reddidit <i>I. Antonelli Costaggini</i> ) . . . . .	91
Pii XII P. M. Altissimi Patroni recentiores de pace orationes (latine reddidit <i>N. Capo</i> ) . . . . .	145
SS. D. N. Pii PP. XII litterae encyclicae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus . . . . .	164, 176
<b>Sententiae</b> 8, 12, 36, 45, 66, 70, 81, 96, 101, 121, 124, 135, 139, 142, 172, 176	
 Vacui temporis hora	
Pro iudicibus mensarum elegantibus escarum ordines ( <i>I. F.</i> ) 35, 72, 89, 108, 126, 144, 158, 158 bis, 168 bis	
Iocosa ( <i>I. F.</i> ) 35, 54, 72, 89, 108, 126, 144, 158 bis	
Aenigmata ( <i>F. Palata</i> ) 35, 54, 72, 90, 108, 126, 144, 158 bis, 168 bis	
 Varia	
Apud Sinenses anni exitus et novi exordium ( <i>P. A.</i> ) . . . . .	9
De Pontificis Romani triplici diademeate ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	43
Pontificiae dominationis auspicatio ( <i>Senior</i> ) . . . . .	46
Floralia ( <i>A. Costaggini</i> ) . . . . .	59
Formicarum vivendi ratio microscopio perspecta ( <i>X</i> ) . . . . .	140
De gossypio ( <i>H. P.</i> ) . . . . .	151
Friderici Magni adversus passeress bellum ( <i>H. Lis</i> ) . . . . .	175



## VARIA

**Patriam semper defendendam esse, sive id fiat honeste, sive fiat cum ignominia aliqua.<sup>1</sup>**

Clausi erant consules cum exercitibus Romanorum intra saltus Caudinos et a Samnitibus obsessi. His quum Samnites iniquissimas conditiones pacis proponerent et maxime ignominiosas, nempe quod omnes sub iugum mittere, et inermes Romanam remittere vellent, Consules dubii, totusque exercitus de eo quod factu opus esset sollicitus ac prope attonitus erat. Itaque in tanta rerum difficultate, et quum omnium animi territi essent, Lucius Lentulus, unus ex legatis, magno animo suasit nullas conditiones reiiciendas, dummodo patria conservari posset. Et quum tota res romana ab huius exercitus, qui tum obesus esset, salute penderet, eum ipsum quacumque tandem ratione conservandum esse asserebat. Patriam enim defendi oportere, sive id fiat cum honore et gloria, sive etiam cum ignominia. Hic vero si conservaretur iste exercitus, fore ut Roma suo tempore hanc ignominiam aboleret rebus praecclare gestis. Quod si idem interiret, eoque singulare specimen virtutis ederet, Romam tamen cum ipso perituram, et amissam iri patriae libertatem. Cuius consilium ceteri sequuti sunt, simulque nobis occasionem dederunt observandi quod in Republica cuiusque civis, qui Reipublicae bene consultum cupit, officium sit. Nempe ut spectet ad conservandam patriae libertatem; de qua quum agitur, nihil esse debet quod animos nostros in aliam sententiam pertrahere queat; neque ab hoc scopo avertere quemquam de-

bet, iusti, iniusti, crudelitatis aut misericordiae, non denique laudis aut ignominiae nota.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Pileoli Bononienses in iure natantes.  
Crusta garo et aphye illita.  
Capo elixus oryza circumfusus.  
Artocreas ex carduis.  
Meleagris atque aviculi assa.  
Libum mellitum Senense.*

### Locosa

TUCCIU ad fluminis ripas transiens nonnullas vaccas sese potu satiantes vidit:

— Ah! nunc tandem — inquit — intellego quare lac quod nobis venumdatur tantum aquae habeat!

\*\*\*

TUCCIU amico cuidam obvius fit in via. Qui ab eo quaerit:

— Quo vadis, Tucci?  
— Evidem nescio. Tu vero?  
— Et ipse vagor, quo contendam ignorans.  
— Ergo — concludit Tuccius — propereamus, ne tardius metam attingamus!

### Aenigmata

I

Salse sum dictum, titillans labra cachinno.  
Principium muta! Me sacra flamma foveat.

II

Astutus sum vir. Tolletur littera prima?  
Me Lybicum fateor progenuisse solum.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Pollex-Pollen; 2) Actor.

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

Ann. XXVI

Romae, mense Decembri MCMXXXIX

Fasc. XII

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIX est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS Natalicios Domini dies et novum annum fausta atque felicia ex animo ominamur.

Proposita nostra ad annum MCMXL in proximo Ianuarii mensis fasciculo de more proferemus; hodie tantum praenuntiamus, vel in difficillimis hisce temporibus subnotationis pretium immutatum permansurum, libell. scilicet 15 pro Italia, libell. Italic. 30 pro exteris gentibus.

Iterum autem iterumque eos socios rogamus, qui nondum decadentis huius anni consociationis pretium solverunt, ne ulterius remorentur. Neve quis ex exteris gentibus difficultatem mittendi pecuniam in excusationem adducat. Monuimus iam apud plures civitates exceptionem nullam esse factam per publicum cursum vel per syngraphas apud nummarias mensas exigendas pecuniam transferendi; praeterea «Institutum permutationum cum exteris gentibus» vigere, per quod non semel, a Germanicis sociis praesertim, consociationis pretium nobis solutum est; itemque Romae extare universi orbis collegia, quae pariter ex civium suorum mandato pretium ipsum nobis satisfecerunt.

Quibus positis, de illis qui officium suum nobiscum contractum non expleverunt, concludendum esset, id eos ex voluntate fecisse; quod de humanissimis sociis nostris ne cogitare quidem volumus.

De Georgio Castriota Scanderberg

« O pulcherrima terrarum Graecia, ex quo te reliqui nunquam te revisi; Ibi patrem habeo matremque dilectam, et fratrem... O pulcherrima Graecia, ex quo te reliqui revisi nunquam! ». Hisce versiculos Dalmatae, Siculi, atque Albanenses Graecique, pace florente, vere medio, summis e collibus ad dilectum suae gentis incunabulum decantabant, ad Graeciam matrem extollentes voces et animos. Deflebant profecto Peloponnesiacae memoriam terrae, tot gloriis antiquitus coronatae totque ditatae operibus eximiis atque virtutibus; contra Orientem spectantes suam effundebant moestitiam, Georgiumque herodem suum consulatabant militem Christi fortissimum, athletam crucis!

Cuius sane vita miraculo prope videtur genita, at falsis mendaciis commixta. Vir enim ille per mundum ita praetergressus est, quasi vehemens spiritus, quem Deus in terram ad confundendam hominum sapientiam misisset.

Fortissimi principis filius, pulcher ipse iuvenis atque viribus validus, animum suum aluit dilectione Christi et iustitia, secumque ipse proposuit se absque inter-

missione pro patria libertate decertaturum, atque pro Fidei Christianae tutela et salute.

Militia autem eius adsidua veluti victoria visa est; quamobrem non iniuria inter suos Dominus atque Pater Epyri est ab omnibus consulutatus. Ipsum immo Mohammed quoque expavit, acerrimus ille Fidei hostis, cuius armis Byzantium cessit infelix; eiusque aucti exemplo plurimi Christi heroes crucem intuentes et fidei igne ferventes placidi ceciderunt in acie.

Virtutes eius militumque suorum audacia tantum valuerunt, ut Europam nostram a Turcarum servitute tutarentur: Croensi in pugna vicit Vindobonenses et Echynadenses lauros praecurrerunt. Quorum excitati aemulatione Ioannes Austriae princeps et Sobieskus, Polonorum rex, suam sibi quisque gloriam pararunt.

Aequales nostri veraci gloriae incuriosi vix nomen viri aliquando recolunt, vix memorant Dalmatiae fata una cum eo occubuisse. At Ioannes ipse Hunyades, qui in Turcas pugnans regnum Hungarorum filio constituit sibique magnam gloriam procuravit, Georgium hunc non adaequavit, neque Scanderbergium nomen illi in aevum contigit.

Media nocte, medioque Ianuario mense anno MCCCCXLVI vita noster est functus. Subditis virtutem suam unam haereditatem dereliquit, filios ut in Italianam migrarent hortatus est, qui liberam ibi una cum genitrice vitam perducerent. Postrema verba eius signum pugnae fuere, et preces in Deum: signum audire socii, qui in hostem decertabant; precem ingeminarunt mulieres et pueri, quorum viri patresque in acie erant; gentis denique universae luctus ex eius obitu partus est, unusque Mohammedus est inde gavisus.

In patria terra cineres ducis quiescunt; et circum Croiam urbem nonnunquam insonant cantiunculae et carmina, quae Georgii dies revocant eiusque gloriam dicunt;

eas audit caelum, et montes iterant, et ad venturos dies servant; Scanderbergii enim memoria ex populi animo unquam cadet: « Nigram ad arborem, — haec verba popularium cantiunculae sunt, — nunquid iacent inertia arma militis eximii? Ventus spirat furens, hinnit equus... curnam in aere non movetur vexillum, neque insonat aes? Haec audit hostis et timet, et pallidus ore atque tremebundus mortem sentit et regreditur ».

Profecto Georgii arma nemo amplius iam induet; at vexillum eius cruce sacrum in patriae suae montes, si vera iam Fata sponte, tandem aliquando redabit.

A. C.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De iteranda voce praecipua

Non raro iteratur vox praecipua ante singula enumerationis membra. Quae « anaphora » vocatur.

**EXEMPLA:** Poëma facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius (CIC.) — Omnia rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine libero dignius (CIC., Off., I, 42) — Verres hominem abripi a tribunali et in carcерem coniici iubet. Clamare ille, quum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisso (CIC.) — *Nihil* dicam reconditum, nihil aut inauditum vobis aut cuiquam novum (CIC.) — Genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum (CIC.) — Testamentum P. Annus fecerat non improbum, non inhumanum (CIC.) — Non hominum potentium studio, non excellentibus pau-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup

corum gratiis, sed universi populi Romani iudicio consul factus (CIC.) — *Quis mediocris gladiator ingemuit? Quis vultum mutavit unquam? Quis, quum decubuisse, ferrum recipere iussus, collum contraxit?* (CIC.) — *Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites de possessione detrahere?* (CIC.) — *Haec nomen populo Romano, haec huic urbi aeternam gloriam peperit; haec orbem terrarum parere huic imperio coegit* (CIC., Mur., X, 22) — Tigranes, qui et ipse hostis fuit populi Romani, qui conflixit, qui signa contulit, qui de imperio poene certavit, regnat hodie (CIC.) — *Non vidit L. Crassus flagrantem Italianam bello, non ardenter invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non denique in omni genere deformatam eam civitatem* (CIC., De orat., III, 2, 8) — Demosthenes nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutis et acumine Hyperidi, nihil levitate Aeschini et splendore verborum (CIC., Orat., XXXI, 110) — Nobis militandum est, et quidem genere militiae quo *nunquam* quies, *nunquam* otium datur: debellandae sunt in primis voluptates (SEN.) — Improbitas, cuius in animo versatur, *nunquam* sinit eum respirare, *nunquam* acquiescere (CIC.) — Homo non sibi soli natus est, sed patriae, sed suis (CIC.) — Probabilis erit narratio si personis, si temporibus, si locis, ea quae narrabuntur consentient (CIC., Partit., 9, 32)

### Quem locum obtineat praepositio

Praepositiones generatim casibus suis praeponuntur. At non raro, pro natura sua, aliud locum obtinent.

**EXEMPLA:** Eloquentia non modo eos ornat *penes* quos est, sed etiam universam rem publicam (CIC.) — *Hominum causa* ea omnia, quae videmus, compara fatendum est (CIC.) — Persuadent

mathematici terram, *ad universi caeli complexum*, quasi *puncti instar obtinere* (CIC.) — Num si Coriolanus habuit amicos, ferre arma *contra patriam* illi debuerunt? (CIC.) — *Quum est penes delectos, tum civitas optimatum arbitrio regi dicitur* (CIC.) — Omnia adsunt bona *quem penes* est virtus (PLAUT.) — Tantum abest ut haec *bestiarum* etiam *causa* parata sint, ut ipsas bestias *hominum gratia* generatas esse videamus (CIC.) — *Quum Arretium versus castra movisset Flaminius et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus sine causa ante signum Iovis Statoris condidit* (CIC.) — *Per Alpes magno cum periculo magnisque cum portoriis mercatores ire consuerant* (CAES.) — Antiochus, posteaquam a Scipione devictus est, *Taurus tenus regnare iussus est* (CIC.) — *Quam ob rem vos adnitimini mecum* (SALL.) — Videat imprimis *quibus de rebus loquatur* (CIC.) — Hoc illi semper *sui causa* fecerant (CIC.) — *Malus est vocandus qui sui causa est bonus* (P. S.) — Neminem unquam violabo *commodi mei gratia* (CIC.) — Mihi, cum illo quum loquerer, *tecum* loqui viderer (CIC.) — *Qua de causa Helvetii reliquos Gallos virtute praecedunt* (CAES.) — Undique loci natura Helvetii continentur, una ex parte flumine Rheno, altera ex parte monte Iura (CAES.) — Id mihi *duabus causis* instituisse videntur (CAES.) — *Hac super re scribam ad te postea* (CIC.) — *Mecum locutus est suavissime* (CIC.) — Solent nautae festinare *quaestus sui causa* (CIC.) — Nos non imperium neque divitias petimus, *quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt* (SALL.).

### De praepositione quae ad plura substantiva refertur.

Praepositio quae ad plura substantiva refertur saepe semel tantum exprimitur.

**EXEMPLA:** Nihil in se sordidum sinere, nihil uspiam corporis aperti immundum

pati ac foetulentum, praesertim os, cuius in proposito et conspicuo usus homini creiberrimus, sive ille cuipiam osculum ferat, seu quum quicquam sermocinetur, sive in auditorio dissertet, sive in templo preces alleget (APUL.) — Cato Valerium Flaccum in consulatu censuraque habuit collegam (CORN. NEP.) — De contumeliis et iniuriis in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum graviter et vehementer potest, tamen dicere praetermittat (CIC.) — Natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates (CIC.) — In Aristide et Themistocle cognitum est quanto antestaret eloquentia innocentiae (CORN. NEP.) — Experiunda res in uno aut altero est, sitne aliquis plebeius par ferendo magno oneri (TIT. LIV.) — Massilienses urbis direptione perterriti, inermes sese universi proripiunt, ad legatos atque exercitum supplices manus tendunt (CAES., Bel. civ., III, 12) — Tu Iupiter, quem statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, Catilinam et eius socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis (CIC., Cat., I, 13) — Equo, praeter equile marmoreum et praeseppe eburneum, praeterque purpurea tegumenta ac monilia e gemmis, domum etiam, et familiam, et supellectilem dedit Caligula, quo lautius nomine eius invitati acciperentur; consulatum quoque traditur destinasse (SUET., Cal., 55) — De vita Catonis et moribus multa in libro narravimus, quem de Catone fecimus (CORN. NEP.) — Paeon aut e longa est et tribus brevibus, aut e totidem brevibus et longa (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

Gratia, quae tarda est, ingrata est; gratia namque quum fieri properat, grata est magis.

AUSONIUS.

### MICHEAE VATICINUM DE IESU SERVATORE BETHLEHEM NASCITURO

O quae sublimi consurgis condita clivo,  
Urbs Bethlem parva, et parvis circumdata muris,  
Nostro, siquid erit laudis, celebrabere versu.  
Namque Palaestinae quot sunt in finibus urbes  
Non ausint parili tecum contendere honore;  
Quamvis ostentent turrito moenia saxo,  
Et iacent summa eductas ad sidera moles;  
Sive illas laeti lucus et amoena vireta,  
Frugiferi aut colles et rura beata coronent.  
Tu merito maiora potes iactare, quod orbis  
Conditor atque idem summi Regnator olympi,  
Mortale os habitumque humanum inducere

[passus]

Ut genus eriperet stygiis mortale tenebris,  
Te legit, Bethlem, multis e millibus unam,  
Quam nascens vultuque suo adspectuque  
[bearet.

Id non fallaci tessides omne Pastor  
Saepe tibi cecinit, cum decurrentia propter  
Flumina, seu palmae recubans frondentis ad  
[umbram,

Aut teneras pascens per florea prata capellas,  
Dulcia fatidicus iungebat carmina nervis:  
« O patria urbs, salve, natali o candida, salve,<sup>1</sup>  
Terra meo, patrii fines, salvete, lacusque  
Et nemora et montes et frondiferae convalles.  
O qualem vobis fortunam fata reservant,  
Cum nova Progenies demissa ex aethere, Virgo  
Quam felix olim gremio est paritura pudico,  
In vobis primum vitales hauriet auras,  
Et sua non ullo ponet cunabula cultu.  
Ergo eris, o Bethlem, magni tu conscientia partus,  
Laeta nimis tellus? Adeone ut cernere diam  
Nascentis speciem Pueri, et suspiria possis  
Audire anxiferis vagitibus intermixta?  
Non hic insidians lupus erret ovilia circum,  
Amplius haud vasto praedas leo rapet hiatu,  
Sibila nec linguis serpens vibret ora trisulcis.  
Quin ubi se spinis effert paliurus acutis,  
Et qua dumus amat steriles horrere per agros,  
Nascantur laetae segetes, et mollibus ultra  
Haud ullo poscente solum florescat aristis.  
Mulceat hic zephyrus natos sine semine flores,  
Pomaque silvestri pendere incognita ramo

<sup>1</sup> Mich. II, 6.

Miretur quercus, stillent et ab ilice mella.  
O utinam vitae tum pars mihi sera maneret,  
Quum decus adducent tantum tibi saecla,  
[tuumque,  
O Bethlem, cunctis clarescit nomen in oris!»  
Tales Iessaeus fundebat pectore voces  
Fatidico. Interea motabant culmina palmae,  
Tum rupe adversa captatrix carminis echo,  
« O Bethlem felix », resonis iterabat in antris,  
Et « Bethlem » viridi referebant flumine ripae.

H. N.

### EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS IOSEPHO XYLANDRO  
SUO SALUTEM

Si imagineris te in reconditissimis sa-  
burris regionis Sinkiang habitare, mirari  
desines tarditatem responsionis, utpote  
quae post longissimum huc iter tantum-  
dem viae confecerit hinc illuc. Sed est ut  
nuper quidam cuidam amico meo de mea  
dubitanti fide confirmavit: scribet, sed inter-  
dum aliquantum necesse est temporis  
exspectes. Hoc igitur etiam tibi accidit.

Sed nunc, rupto iam silentio, unde potissimum exordiar? Utinam hoc scirem  
saltem, ubi locorum te nunc esse statuem!  
Monachiprat? Si fuga opus non  
fuerit. Acceperas me mense Ianuario,  
quod pleraque regionum patriarcharum aves  
autumno solent, calidores petuisse terras  
et ad flavum Tiberim collocasse sedem.  
Ipse intellegis me, prout se dederit fa-  
cultas, post sacras Dei aedes, quibus  
haec urbs abundat, omnia obire loca, ubi  
pedem fixisse scimus antiquos illos, quo-  
rum sunt in manibus libri. Festivum fuit  
primum perambulare forum illud Roma-  
num et notare locum rostrorum, videre  
templorum et basilicarum ruinas, via Sa-  
cra incedere, Palatinum superare montem,  
Capitolium invisere. Quin nuper in imo  
Tulliano sacra feci. In eo carcere fuisse  
dicuntur Petrus et Paulus Apostoli, sed

in tabulis in pariete fixis leguntur nomina  
paganorum et Christianorum, qui in squa-  
loribus istius putei languebant. Fuimus  
etiam in eritis Pompeiorum ruinis, quo-  
rum sepulturam tam clare Plinius descri-  
bit, in quo itinere procul conspicati su-  
mus et salutavimus monumentum Cicero-  
nis. Quae omnia sentiri animo possunt,  
describi non possunt animi in videndo af-  
fectiones. Cogito etiam in Tuscanum,  
sed Deus scit quando sit futurum.

Venio ad litteras tuas, quas in Silvam  
Bohemicam miseras, quas nunc haud scio  
an cum gaudio relegeris in ALMAE ROMAE  
postremo fasciculo propinquantis respon-  
sionis nuntias.

Hic tibi primum gratias ago, quod il-  
lud vocabulum reddidisti, quod est « amy-  
lum » et « amyclare ». Quam multa id ge-  
nus vocabula ad usum cotidianum perti-  
nentia latent inter folia Georgis nostri vel  
Forcellini! Sed est mihi fixum in istas la-  
tebras, simul vacaverit progreedi tamquam  
in catacumbas cum parvulo cereo huc il-  
luc lucem praebente. Sed mihi nunquam  
fere probantur illa nomina, quae ab in-  
ventorum propriis cognominationibus su-  
muntur, quod hodie in multis floribus fieri  
video: ut, si quis Finkstein suis botani-  
cis artibus eduxerit novum colorum ger-  
anii, ob eam causam non a colore novo  
illam speciem appellat, sed « geranium  
Finkstenii » crepet. Cur non maiorum  
exemplo novum rei novae nomen facimus  
ex speciem faciente nota? An quia ne-  
cessere est scientiam inventoris celebrare,  
quoties moveamus labia? Sic Germani  
sibi habeant suam Hoffmannstaerke; di-  
cissent alii « Hoffmanni amyllum »; nos,  
quia me doces ex oryza ab Hoffmanno  
tractum, assuescamus « oryzae amyllum »  
vel « oryzeum amyllum » vocare.

Hic cogitationem defixi in « ferramen-  
to levigatorio » tuo, neque tamen oc-  
currit quid dicerem aliud, quum non longe  
ab essem, ut facerem aliquid quasi « di-

strigaculum ». Quid enim est *Buegeleisen?* Ferramentum cuius tritu vestimentorum et linteorum explicitantur inconditae flexiones, vel convexiones, vel strigae. Hortans igitur me sagaciores, ut primo quoque tempore melius et rectius in medium afferant, interim contentus ero « ferro levigandis pannis » vel « (ferrea) pannorum strigili ».

Succedunt *Stammzeiten*. De quibus ego ante annos non ita paucos in ALMA ROMA scripsi, sed profiscens illos tomos reliqui in Superiore Palatinatu, ubi spero non corrodi dente temporum aut murium dentibus. Memini illic me vocare illas formas vel « originias » vel « primitivas » vel « primas »; iubebam mihi reddi, quum in vicinitate Monachipratensium docebamus linguam Latinam, vel « stirpes formarum », vel « formarum etyma »; « da radices verbi » dixi interdum, vel « dic formarum principia! » semper relinquens me doctioribus doctiora sua.

Quod me hortaris ut de tuis in Societate Latina gymnici videam, nihil equidem promitto; sed tamen si per occupationes licuerit meas, ut morem geram amico inclinat animus. Nimium iam diu desideratur collegium novis vocabulis Latinis diiudicandis, cuius examini et illa gymnica tua, et sexcenta mea, tua, aliorum vocabula subciantur. Quando tale collegium et a quo creabitur?

Quod tibi in mentem venerat *Vierjahrsplan*, excogitanda certe vox est, quares quam strictissime rectissimeque redditatur. Tua circumsticio « ratio oeconomiam per quadriennium restaurandi » praeterquam quod non remiserim hoc « per », pro quo ego « intra » malim, longiuscula videntur oratio. Itaque si me statim dicere iusseris, quid habeam Latinum pro *Vierjahrsplan* dicam: « oeconomicum illud quadrienne propositum », vel « quadriennum illud oeconomicum » vel « illud oeconomicum quatuor annorum conamen »,

vel « consilium stabiendi intra quadriennium oeconomiae ».

Hic placuit findere vocabularium *Tous-saint Langenscheidt Italicum*, cuius recentissimae editioni additae recentissimae quaedam voces sunt ad civilia instituta aut nuper novata significanda. Hic deprehendi id, quod nunquam dubitaveram, quam idonea lingua Latina esset ad novas res appellandas. Nam etiam Itali suam linguam, quae Latina fere est, eleganter procudent ad hodiernum usum, eaque proferunt, quibus vel ipsis in hoc sermone Latino uti licet, vel licet his pro tutis uti ponticulis in nomina Latina. Narro tibi me primis hebdomadis per huius urbis vias errantem saepe delectatum esse domorum et negotiorum inscriptionibus. Solebam tum hinc ad « aream Hispanorum » properare per Cursum Humberti et Viam Vitis (*Via della Vite*). In hac via officium est cursus publici, et in muro sunt complures fissurae immittendis epistolis: in unam dabis, quae inscribuntur in Italianum, altera, quae in alias terras destinaveris excipiet, per tertiam intromittes typogramma. Supra fissuras omnes scribitur maiusculis litteris « *Impostazione* ». Hic ego gaudens in sinu atque subridens: Ecce, inquam, quam elegans et opportuna ab Italibus offertur vox illis, qui « postam » vel « postas » admittant. Nam illi, quum suos filios Latine doctos cum epistola mittunt, non dicent: — Heus, Alfonse, trade hanc epistolam cursui publico; sed: — Fac, impostes; vel, quod mihi hic magis placet: — Volo « *impostoris* » hanc epistolam. Postea aliam viam quae sive, nam quodam die paene deiugi reda obtritus sum, quae ex illa cursus Humberti parte advolabat, in quam non satis prospexeram. Et reda quidem tum horridum sibilans ante me constituit, in irasque euntem gubernatorem, qui unus insedebat, dulcedidens et salutante manu placavi. Ex eo tempore devito illam *della Vite* viam.

Sed redeo iam ad Italicum, cuius supra feci mentionem, vocabularium. Pro nostro *Vierjahrsplan* habet « piano quadriennale ». Non video nostris in Latinis glossariis nomen hoc adiectivum quadriennale; sed quinquennium video et quinquennis et quinquennalis. Num quid prohibet me « quadriennale consilium » facere et interroganti quid hoc sit dicere: esse voluntatem sanandarum rerum oeconomicarum, ad quam sanationem concedatur spatium quadrienne vel quadriennale, nominarique illos nisus: « inceptum oeconomicum quadriennale »?

Eram allatus exempla, quibus quod supra dixi de fertilitate linguae Italicae demonstrarem, sed quia in volumen excresceret epistola, mihi tempero. Hoc unum addo: risisse me, o noster Xylander, quum nuper oculi incidissent in Mariam Annam tuam, cui tam doctum sponsum et illas Monachipratenses amoena tales gratulor, sensisseque, quam similis color linguae sponsae colori esset linguae sponsi. Sed tamen aliquid quasi vernum linguae nostra videre video, quoties in commentariis Latinis scripta a feminis conspicor. Vale.

Idibus Nov. anno Chr. 1939.

### FRIDERICI MAGNI ADVERSUS PASSERES BELLUM

Dubium non est, quin passeris numero nimis crescente magnam rebus rusticis perniciem importare possint. Itaque, cum passerum pestis hieme 1936 ad 1937 in Silesia modum adeo excessisset, ut populi sustentatio in periculum non parvi aestimandum committeretur, expeditio in malefactores cana penna induitos rusticitatibus iudicibusque ab aeditumis palam factum est; ad hoc praecepta regia singulis annis ultimo Solis die mensis Octobris in auditoriis iudicariis atque comitiis repetenda erant.

Hic autem modus impugnandi tum pro-

positus speciosum habuit exemplum, quod abhinc annos prope ducentos statutum est. Iussu enim regis Friderici, ad cuius aures pervenerat, quantum detrimenti agricolaram fruges immodica copia passerum caperent, procuratores camerae rerum militarium arationumque publicarum<sup>1</sup> Vratislaviae vicesimo septimo die Aprilis 1744 edixerunt, ut passeris ad fruges melius conservandas in posterum extirparentur atque numerus quidam capitum harum avium nocentium quotannis sub Martini die ad dominia deferendus esset.

Scrupulose, ut genuina virtus Borussica postulabat, suus cuique vicano numerus capitum tradendorum definitus est. Singillatim igitur rusticis duodena, hortulanis sive triturae adscriptis sive immunibus et parvis agrestibus et casariis et molitoribus et reliquis incolis quadam possessione praeditis octona, opilionibus et pastoribus sena, inquilinis et incolis artem aliquam exercentibus ceterisque omnibus quaternia capita passeraria imperata sunt. Acriter autem observatum est, ut suum quisque numerum compleret, aut pro capitibus deficientibus singuli grossi loco poenae ad pauperes vicorum adiuvandos in commune conferendi erant.

Ex voluntate regis omnia capita in dominia vicorum congesta simul cum vetricitalibus solvendis mense Novembribus ad fiscum regionalem delata sunt, ubi pernumerabantur; deinde aut combusta aut in foveas salis nitri coniecta sunt, quo sal nitrum augesceret. Insuper hoc rescriptum salubre, ne oblivioni daretur, non modo typis mandatum, sed etiam rebus divinis confectis extra ecclesiam coram scultetis iudicibusque ab aeditumis palam factum est; ad hoc praecepta regia singulis annis ultimo Solis die mensis Octobris in auditoriis iudicariis atque comitiis repetenda erant.

<sup>1</sup> Germanice: *Kriegs- und Domänenkammer*.

Friderici tam saeva lex in montanis Silviburgiensibus<sup>2</sup> diutius quam alibi valuisse videtur. Nam hoc edictum anno etiam 1786 ibi observatum esse audimus. Pro re nata mirum non est venationem passeriarum magno studio actam esse. Quo in bello non modo multa milia passerum, sed etiam magna multitudo avium cantantium capitibus nudata est, praesertim cum postea praemia proponerentur eis, qui supra numerum legitimum collegissent.

Sed fama nuntiat passeres ipsos inimicities mortiferas a Friderico indictas molestissime tulisse omnesque deinceps passerum propagines usque ad hoc tempus hanc indignationem excepisse. Quin etiam in parvo eius regionis vico montano nullus passer ab illo decreto bellico ad diem ho- diernum nidum umquam finxisse dicitur.

Utcumque se res habet, bello gentium orto passerum calamitatem in eadem Silesiae parte denuo bene magnam fuisse constat.

Anno 1915, ut unum ponatur exemplum, in conventu quodam rusticantium proferebatur amplius tria milia centeniorum frumenti enormi passerum exercitu sustentationi hominum detracta esse.

*Vratislaviae, mense Octobri 1939.*

HANS LIS,  
studiorum consiliarius.

<sup>2</sup> Montana Silviburgiensia in Germania Waldenburger Bergland appellantur.

*Dissimilis est pecuniae debitio et gratiae; nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id quod reddidit; qui autem debet, is retinet alienum; gratiam autem et qui refert habet; in eo ipso quod habet refert.*

CICERO pro Plancio.

*Qui semel a veritate deflexit, is non maiore religione ad perjurium quam ad mendacium perduci consuevit.*

CICERO pro Roscio.

## ROMA SACRA

### SS. D. N. Pii PP. XII litterae encycliche ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.\*

Divino Redemptore ex vitae ratione exacto, «consequitur, ut omnia de conformandis moribus principia ac normae, quibus superiore tempore rationes privatum publiceque vivendi dijudicabantur, quasi obsoleta facta sint; utque, ubi civilis societas omnino ad laicismi, quem vocant, effata ac placita redacta fuerit — quod quidem citatiore cotidie gradu evenit, summisque laudibus extollitur — atque ubi eo usque incresserit, ut singulos cives, domesticum convictum universamque civitatem ab almo ac beneficio Dei Ecclesiaeque afflatu subtraxerit, luculentiora cotidie ac miseriiora manifestentur signa ac vestigia corruptricis ethnicorum veterum falsitatis. Quod quidem in iis etiam regionibus contingit, in quibus per tot saeculorum decursum christianaे urbanitatis iubar refluisit: *Tenebrae factae sunt dum crucifixissent Iesum*<sup>9</sup>. ... Remissa ac debilitata Dei divinique Redemptoris fide, ac luce obumbrata in animis, quae ex universalibus probitatis honestatisque normis oritur, iam unum illud atque unicum labefactatur stabilitatis tranquillitatisque fundamentum, quo privatus ac publicus animorum rerumque ordo innititur, qui quidem solummodo potest civitatum prosperitatem gignere ac sartam tectamque servare».

\*\*\*

In multiplicibus variisque erroribus, qui ex neglectis detrectatisque religionis praceptis morumque probitatis normis, quasi e veneno fonte scatent, duo capita peculiari modo Pius XII, deinde, considerationi proponit, quippe quae impossibile paene, vel precarium incertumque reddant populos inter se pacifice tranquilleque vivere.

«Quorum primum, tam late in praesens perniciose vulgatum, oblivione continetur

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>9</sup> Brev. Rom., Parasc., respons. IV.

mutuae illius hominum necessitudinis caritatisque, quam quidem cum communis origo postulat, ac rationabilis omnium hominum naturae aequalitas, ad quaslibet iidem gentes pertineant, tum Redemptionis sacrificium praecepit, quod Christus Dominus expiandis animis Aeterno Patri in ara crucis obtulit. ... Miro quodam mentis obtutu humanum genus, ob communem a Creatore originem unum, intueri ac contemplari possumus secundum illud: *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis*<sup>10</sup>; itemque natura unum, quae ex corporis concretione et ex immortali spiritualique animo constant; unum ob proxime omnibus assequendum finem, obque commune per praesentis huius vitae decursum fungendum munus; unum ob eandem habitationem, terrarum nempe orbem, cuius opibus naturali iure omnes frui possunt, ut sese alere queant seseque ad auctiora incrementa provehere; unum denique ob supernum finem, Deum ipsum, quo contendant omnes oportet, et ob res atque adiumenta, quibus eundem finem tandem aliquando contingere valeant.

«Atque gentium Apostolus humanae familiae unitatem ex rationum vinculis demonstrat, quibus cum aeterna haud adspectabilis Numinis imagine, Dei Filio, coniungimur, in quo *condita sunt universa*<sup>11</sup>; itemque ex una eademque Redemptione, quam Christus per acerbissimos cruciatus omnibus dilargitus est, cum abruptam Dei amicitiam, iam ab origine inditam, redintegravit ac caelestis Patris hominumque conciliator exstitit. ... Ut vero eiusmodi Dei humanaeque gentis amicitiam coniunctionem firmoremque redderet, universalis ille salutis pacisque sequester, in Caenaculi silentio supremum sui ipsius sacrificium obiturus, haec e sanctissimis labiis edidit verba, quae altissima per saeculorum spatia resonant, animisque amore vacuis simultaque laceratis praecclare excitata caritatis facinora ostendunt: *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*<sup>12</sup>.

«Haec supernae veritatis capita ima constituant fundamenta arctissimaque communis omnium unitatis vincula, Dei divinique Re-

<sup>10</sup> Eph., IV, 6.

<sup>11</sup> Col., I, 16.

<sup>12</sup> Io., XV, 12.

demotoris amore solidata, ex quo singuli universi salutem accipiunt in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in vi- rum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi<sup>13</sup>. Quamobrem, si hanc iure ac reapse datam totius humani generis unitatem intente consideramus, non seiuncti nobis singuli cives, quasi arenarum grana, videntur, sed inter se potius apto compositeque ordine ac mutua variaque ob temporum diversitatem necessitudine congregati ex naturali ac superna impulsione destinationeque. Et quum gentes ad humaniores cultum evehantur, et pro rerum vitaeque condicionibus inter se dissimiles fiant, non idcirco debent humanae familiae unitatem infringere, sed eamdem potius familiaris, suis ipsarum communicatis dotibus animique ornamenti, ditare, itemque mutuo illo bonorum commercio, quod tum solummodo efficienterque haberi potest, quum vivida ac flagrans caritas omnes eiusdem Patris filios omnesque eodem divino cruento redemptos homines fraterno foedere coagmentat. Iesu Christi Ecclesia, utpote fidelissima almae divinaeque sapientiae custos, non ea pro certo nititur deprimere vel parvi facere, quae peculiares cuiusvis nationis notas proprietatesque constituent, quas quidem populi iure meritoque quasi sacram hereditatem religiose acerrimeque tueantur. Ea siquidem ad unitatem contendit, superno illo amore conformatam et altam, quo omnes actuose exerceantur; non vero ad unam assequendam rerum omnium aequabilitatem, externam tantummodo atque adeo insitas vires debilitantem. Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt — quae quidem ex occultis cuiusvis stirpis latebris oriuntur — Ecclesia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo communisque destinatio implicant. Quod profecto ex impensa opera, quam sacrarum expeditionum praecones navant, iterum iterumque ostendit; idque esse profitetur quasi rectricem stellam, ad quam in suo universalis apostolatus itinere intentis oculis respiciat.... Ac pro certo habeant omnes, quot-

<sup>13</sup> Eph., IV, 12-13.

quot cuiusvis originis vel sermonis catholicam amplectuntur Ecclesiam, sese in hac communis Patris domo, in qua Iesu Christi lege ac pace fruuntur omnes, ipsissima habere filiorum iura.

« Heic vero animadvertisendum putamus fraternalae universalisque necessitudinis conscientiam, quam christiana doctrinae pracepta in animis excitant ac refovent, non amorem aversari erga patriae cuiusque suae memorias gloriae; neque prohibere quominus auctor usque prosperitas ac legitime potiunda bona promoveantur, quandoquidem eadem doctrinâ edocemur Deum ipsum in exercenda caritate rectum statuisse rerum ordinem, ex quo impensis ii adamandi sint, uberioribusque bene factis donandi, qui peculiaribus sint vinculis nobiscum copulati. Hoc Divinus ipse Magister ex sua agendi ratione patefecit, quem potiore amore erga patrium solum exarsit, atque imminentia Urbis Sanctae ruinae maestissime illacrimavit. At patria caritas, iure meritoque alenda, christiana in universos homines caritatis praeccepto non obstet, non officiat, quod ceteros quoque omnes eorumque profectus in paciferi amoris luce collocat».

\*\*\*

« Quodsi, ex obliuione illius legis, quae in singulos universos caritatem praecipit, quaeque odia restinguens, contentionesque extenuans, una potest solidare pacem, tot tantaque communi pacataeque populorum vitae obvenient mala, at procul dubio nationibus omnibus cunctaeque hominum cuiusvis gentis familiae non minora eorum error detimenta parit, qui, temerario ausu, publicae rei potestatem a quolibet nexu cum Sempiterno Numine vindicant, ex quo quidem veluti primo auctore supremoque domino cum singuli, tum humana congregatio pendent; idque eo vel magis quod a quibusvis superioribus normis, quae ex Deo ut primo fonte oriuntur, eamdem potestatem liberant, eidemque plenissimam attribuunt agendi facultatem, quae nutanti solum fluxoque arbitrio permittitur, illis placitis, quae rerum gerendarum condicionibus peculiaribusque adiungendis bonis tantummodo conformentur.

« Itaque divina posthabita auctoritate eiusus legis imperio, id necessario consequitur ut civilis potestas absolutissima nullique obnoxia iura usurpet, quae ad summum Creatorem

<sup>14</sup> Acta Leonis XIII, vol. V, p. 118.

unice pertinent; utque, in eiusdem Creatoris locum suffecta, rem publicam vel civium communitatem efferat quasi supremam totius humanae vitae metam maximamque normam in iuris morumque ordine habendam; atque adeo omnes prohibeat quominus ad naturalis rationis christianaque conscientiae pracepta refugiant». Atvero « ubi humana iura a divinis pendere renuntur, ubi non nisi ad adumbratam incertamque terrenae auctoritatis speciem provocatur, ac iura vindicantur, quae nulli sint obnoxia, quaeque non probitatis, sed utilitatis tantum rationibus regantur, inibi ipsum hominum ius, in actione agitationeque vitae, interna in animos vi necessario exiuit; qua dempta, rite agnoscere rerumque iacturas a civibus postulare non potest. Interdum utique accidit ut publica potestas, quamquam nutantibus id genus fulciminibus subnixa, per fortuitos casus rerumque adiuncta, terrena eiusmodi incrementa assequatur, quae iis admirationem inlicant, qui in res ipsas non penitus introspiciant; necessitate tamen contingit ut ineluctabilis illa lex victrix emergat, quae incepta omnia collabentur, quae fuerint ex impari prorsus, aperta vel occulta, ratione exorta, quum nempe adeptus in externis rebus magnitudinis exitus probitatis honestatisque normis intima firmaque vi sua non respondeat. Quae quidem imparatio tum non haberi non potest, cum publica auctoritas Summi Legislatores dominatum vel initiatum, vel respuit, qui dum civitatis moderatoribus potestatem attribuit, eiusdem tamen potestatis terminos decrevit. Etenim civitatis imperium, quemadmodum per Encyclicas Literatas *Immortale Dei*<sup>14</sup> sapientissimus Decessor Noster p. m. Leo XIII edocet, idcirco a summo omnium Creatore statutum est, ut ex illius ordinis praescriptione, qui in universalibus, quibus regitur, principiis ac normis incommutabilis consistit, publicam rem modetur; ut humanae personae, in praesenti hac vita, ad corporis mentisque vires quod attinet et ad rite componendos mores, perfectionis adiectionem faciliorem reddat; utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum. Eo igitur nobilissimo munere fungitur res publica, ut, in nationis vita, privata singulorum incepta et opera recognoscat, tem-

peret atque promoveat; eaque ad commune omnium bonum convenienter dirigat, quod quidem non ex alicuius arbitrio, neque solummodo a terrena civilis societatis prosperitate, veluti a primaria ratione sua definiatur, sed ex naturali potius hominis perfectione congruenter provehenda, ad quam civitas ipsa a supremo Creatore, quasi instrumentum atque praesidium, destinatur. Quisquis rem publicam quasi finem considerat, ad quem omnia confluant, cuique omnia obtemperent, facere is non potest quin mansuris verique nominis nationum incrementis noceat, officiat. Quod prefecto contingit, sive infinitus eiusmodi dominatus ex nationis, vel populi, vel ex alicuius civium ordinis mandato, rei publicae attribuatur, sive ipsam eamdem imperandi rationem sibi sumat civitas, utpote dominatrix absolutissima, nulli prorsus obnoxia. Si enim res publica privatae navitatis incepta ad se trahit ac vindicat, eadem prefecto incepta — quippe quae multiplicibus normis, peculiaribus ac propriis, regantur, quae quidem ad propositum tute assequendum conducant — non sine publici boni iactura, detimenta accipere queunt, quum a naturali rerum ordine abstractantur, quarum rationem ac periculum privati in se recipient.

« Ex hoc cogitandi agendique modo id discribinis oriri potest, ut domesticus etiam convictus, primus ille ac necessarius humanae societatis fons, atque eius prefectus eiusque commoda, perinde considerentur, quasi ad nationis imperium dominationemque unice respiciant; itemque ut obliuioni detur homines eorumque familias suapte natura civitatem antecedere, ac divinum Creatorem peculiaria utrisque dedisse iura facultatesque, iisdemque destinasse munus, quod naturalibus ac certis necessitatibus respondeat. Eademque ratione novae subtilis educatio non eo spectat, ut omnes corporis, mentis animique vires convenienter conformentur et adaugeantur, sed ut illa tantum civica virtus efferatur summopereque excitetur, quae ad prosperos politicae rei eventus necessaria videatur; quapropter quae animi ornamenta nobilitatem, observantiam humanitatemque redolent, minus ea commendantur, quasi acrem iuvenilis ingenii fortitudinem minuant ac deprimant».

Quapropter ea paene oculis obversari Suis affirmat Pontifex discrimina, quae ex immi-

tis ac sensim abolitis domestici convictus iuribus praesenti huic nostrae futuraeque aetati obventura erunt. Eiusque igitur esse partis dicit ex officii Sui conscientia, eiusmodi iura religiose affirmante tueri.

Evidem postulat statuta a Deo ratio in ordine morum, ut diligentius perpendatur, ex boni communis norma, quid fas sit, quae tempora moneant, quid nefas; itemque quid reapse necessitas exposcat. Quo graviora autem incommoda rerumque iacturas a singulis civibus et a domestica societate exposcit publica potestas, « eo magis debet animorum iura sancta inviolataque servare. Ipsa siquidem potest opes crudelisque expetere, at nunquam animam a Deo redemptam potest. Quamobrem, quod sempiternum Numen patribus matribusque familiis munus concredidit, hoc est consulendi subolis cuiusque suae bono, ad praesentem futuramque vitam quod attinet, itemque filios ad vera religionis praecelta apte conformandi, id nemo unus, sine gravi iuris detrimento, ad se rapere potest.

(Ad proximum numerum).

## ANNALES

### Europaeum discrimen

Die vi mens. Novembris, Hagae, in urbe Bataviae capite, Batavorum regina atque Belgarum rex simul convenere ut rationem aliquam perquirerent ad atrox discrimen dirimendum inter Angliam Galliamque hinc, indeque Germaniam exortum. Visum est ad singulos populorum rectores litteras mittere, per quas ii revocantes civitatibus neutri parti faventibus se esse praepositos, optimeque cum omnibus finitimi gentibus convenire, sese promptos paratosque declararent ad sua officia interponenda ut firma rectaque fundamenta parpenderetur aequae durabilisque pacis.

Hisce Anglia respondens, quum memoriasset sese evocationes iam antea mense Augusto ab iisdem regiis principibus fa-

ctas benebole accepisse, Angliae desiderium confirmavit, bellum ne diem quidem unum ultra quem necesse sit fore diuturnum; capita autem rerum componendarum veraeque pacisque assequendae ex sua parte declarata fuisse in documentis publici iuris iam factis, ex quibus plane eruuntur tum belli origines tum conflictationis causae: si Germania illiusmodi consilia adumbraverit, quae ad Angliae mentem accedant, ad ea Anglia serio animum convertet.

Gallia vicissim professa est nullam propositam rationem a seiri neglectum, quae populis iustum diurnamque pacem sit allatura: huiusmodi vero pax obtineri nunquam licebit, nisi sartis iniuriis per vim Austriae, Cecoslovachiae Poloniaeque impositis; neque ipsa durabilis fiet nisi certis promissis receptisque iis praestitis, tum civilis tum oeconomici ordinis, quae rationabile obsequium omnium nationum libertati debitum tueantur.

Germania autem per Hagensem legatum suum augustos oratores de acceptis litteris tantum docuit.

Nobiles ita novi conatus ad funestum discrimen tollendum in irritum quum cessissent, aspera contentio heu! perduravit ac perdurat, in aere praesertim et in mari, ubi igniferae glandes, in aquis late a Germanis positae ut quo fluctus trahant dissipentur, ruinam navibus non bellantium modo, sed et gentium quae utrisque armis vacant quotidie inferunt.

\*\*\*

Sed et graviora his diebus intercessere. Russi enim, quum frustra a Finnis insulas, portus, aerodromos et Careliae finium translationes exegissent, foedere cum ipsis de non aggressione aliquot abhinc annos inito ex una sua parte insolenter abrupto, Finniam per vim adhorti sunt, non certe ut hac praepotenti ratione postulata sub

tutelae suae specie exhibita perficerent, sed ut Finniam civitatem «Sovieticam» facerent. Re quidem vera, novam civilem administrationem in deserto regionis loco constituerunt, cui clientem suum praefere, qui Finnorum omnium nomine ab ipsa peteret Helsinki urbis capititis libertatem, Russique regiminis instaurationem! Finnica vero gens omnis audacter strenuissimeque arma sumpsit, ingentiaque detrimenta praepollentibus hostium viribus inlilit.

Redit ne musca in leonem?...

POPLICOLA.

### LIBRI DONO ACCEPTI

ALFONSO M. NAVIA, *La pronunciación clásica del latin*. Estudios de crítica fonética sobre la pronunciación que estuvo en uso durante la edad de oro, y su aplicación al latin moderno como lengua hablada. (Escuelas gráficas Salesianas, Bogota, 1939).

I carmi di Albio Tibullo. Versione metrica di NICOLA PITTA. (Casa editrice «Arte della stampa», Istonio, MCMXXXIX-XVII).

Proff. MARCO BERGAMINI e FRANCESCO LO PRESTI-SEMINERIO, *Manuale di Puericultura e Igiene Infantile per le Scuole medie femminili*. (Parma, Tipografie riunite Donati, 1939-XVII. — Ven. lib. 8,50).

Prof. Dott. VINCENZO BULLA. *Posizione del mimo nella letteratura Ellenica ed Ellenistica* (Adrano, Editrice Arti Grafiche Gemma — Ven. lib. 8).

#### IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen. Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## INDEX RERUM VOL. XXVI

(AN. XXVI — FASC. I-XII)

PAG.		PAG.
	<b>Fabulae</b>	
	Canis, Gallus gallinaceus et Vulpes . . . . .	71
	Herostratus-Gladiator nungivendus ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	126
	Civis sententia discors ( <i>M. Ginotta</i> ) . . . . .	144
	<b>Historica</b>	
	De Rolandi exitio ad vallem Rubeti ( <i>I. Antonelli</i> ) . . . . .	14
	De clientibus ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	25
	De prisco Romanorum regno ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	55
	De priscis Romanorum magistratibus ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	79, 94, 111
	De priscorum Romanorum senatu ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	127
	De populo et comitiis ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	128
	De Romana republika ( <i>S. Romani</i> ) . . . . .	148
	De sacro fato Urbis Romae (Oratio Purpurei Patris Eugenii Pacelli, nunc Pii Pp. XII) Latine vertit <i>I. Antonelli Costagiani</i> . . . . .	73
	De gymnicis ludis apud veteres ( <i>X.</i> ) . . . . .	83
	Montis-Casini coenobium ( <i>G. P.</i> ) . . . . .	116
	Lucianus Bonaparte Napoleonis fratris soter ( <i>M. Mazzotti</i> ) . . . . .	137
	De Rolando puero fabula ( <i>I. Antonelli</i> ) . . . . .	141
	De Georgio Castriota Scanderbeg ( <i>A. C.</i> ) . . . . .	169
	Ex Nicolai Machiavelli opere «De republica disputationes ex prima decade T. Livii» latine vertit <i>H. Bind</i> : — Quae voces opinionesque civi cuiquam apud populum favorem conciliare soleant . . . . .	34
	— Summa laude dignum esse illum imperatorem, qui hostis sui cogitationes consilia praevide ac praecognoscere noverit . . . . .	53
	— De imperiorum prorogatione . . . . .	71
	— Veram virtutem in summis difficultatibus tantum apparere . . . . .	88, 107
	— Non fieri prudenter ab iis qui foedus ineunt cum principibus, quorum potentia minor sit, quam esse putetur . . . . .	125
	<b>Archaeologica</b>	
	De picturis sepulcralibus in Christianorum catacumbis ( <i>S. S.</i> ) . . . . .	23
	<b>Ars</b>	
	Didacus de Silva y Velasquez ( <i>I. Antonelli</i> ) . . . . .	5
	De musica sacra ( <i>Hers.</i> ) . . . . .	29, 57, 100, 135
	Antonius Van Dyck ( <i>I. Antonelli</i> ) . . . . .	60
	Ioannes Laurentius Bernini ( <i>I. C.</i> ) . . . . .	102
	<b>Carmina</b>	
	In Iesum nascentem ( <i>Ios. Morabito</i> ) . . . . .	8
	Pii PP. XI Decimoseptimo Pontificatus anno exeunte, Deiparae Immaculatae Sedis Apostolicæ praesidio ( <i>Hirpinus</i> ) . . . . .	21
	Petrus Immortalis in electione Summi Pontificis Pii XII ( <i>Hirpinus</i> ) . . . . .	42
	Iesu Christi anastasis ( <i>H. N.</i> ) . . . . .	62
	Rogationes ( <i>A. Trazzi</i> ) . . . . .	77
	Martyrium SS. AA. Petri et Pauli ( <i>Hirpinus</i> ) . . . . .	96
	Epistolium ( <i>I. Morabito</i> ) . . . . .	120
	Reditus ad Patrem ( <i>F. Palata</i> ) . . . . .	121
	Dantis Alighieri «Inferorum» carmen XIII ( <i>I. Toraldo</i> ) . . . . .	134
	Poëta ad lucernam ( <i>I. Scopa</i> ) . . . . .	154
	Animi certamen ( <i>V. Genovesi</i> ) . . . . .	159
	Micheae vaticinium de Iesu Servatore Beethlehem nascituro ( <i>H. N.</i> ) . . . . .	172
	<b>Certamina poëtica</b>	
	Certamen poëticum Hoeufftianum . . . . .	84
	<b>Communia vitae</b>	
	De indumentis virorum ( <i>P. d. V.</i> ) . . . . .	104, 121
	Cfr. etiam <b>Litterae et Philologia</b> ( <i>Nostra res</i> ) atque <b>Epistolarum commercium</b>	
	<b>Epistolarum commercium</b>	
	( <i>M. A. Effnert - I. F.</i> ) . . . . .	132
	( <i>Xylander</i> ) . . . . .	154
	( <i>Avenarius</i> ) . . . . .	173